

*Canonum instituta, vel ad summum unus, et una baptizatum de baptismo suscipiant: neque ultra principio recensitas personas spiritualem extendendam cognationem.*

XL. Adfinitas, sive personarum ex copula carnali exoriens propinquitatis dirimit inter consanguineos viri, et hujus viduam uxorem, et vice versa inter virum viduum, et hujus defunctæ uxoris consanguineos: (\*\*) Syn. Illiberit. *Can. LXI. et LXVI.* ac Compost. an. 1056. *Cap. III. (\*)* Antiquitus triplex agnoscebatur Adfinitas ex triplicibus gradatim initis nuptiis: nimirum primæ nuptiæ consanguineos viri reddebant uxori adfines *primi generis*, et vicissim: dein ubi superstes vidua ad secundas, tum ad tertias nuptias transiret, efficiebat secundum virum consanguineis primi viri adfinem secundi generis, ac tertium virum iisdem tertio genere adfinem; et è converso. Tria ejusmodi adfinitatis genera olim Matrimonii ineundis impedimento fuisse indicant *Canones III. et XXII. Causs. 35. Q. III.* et evidenter supponit Conc. Lateran. III. *Cap. 2. de Eo, qui cognovit consang. uxor. suæ:* ubi etiam prohibitiones de conjugio in secundo, et tertio adfinitatis genere minimè contrahendo, quippe quæ difficultatem frequenter inducant, et aliquando periculum pariant animarum, auferuntur. Unde jure novo à Syn. Trident. *ibid. Cap. 4.* firmato, adfinitas ex copula licita ad quartum, ex copula verò fornicaria ad secundum usque gradum inclusive matrimonia dirimit. Jam verò consanguinei viri non fiunt per carnalem copulam adfines consanguineis fæminæ; nec è contrario, quia *adfinitas non parit adfinitatem:* ita Innocentius III. in *Cap. 5. de Consanguinit. et Adfinitat.* Uti quoque nec inter vitricum, et uxorem privigni, nec vicissim inter novercam, et privignæ virum ulla intercedit adfinitas: Benedictus XIV. *de Syn. Diæces. Lib. VII. cap. 31. (1)*

XLI. *Publica Sponsalium honestas:* Qua ratione ex Cognatione legali, eadem quoque ex publica Sponsalium honestate dirimens exoritur Matrimonii impedimentum. Etenim, ut loquitur Augustinus Lib. XV. de Civit. Dei cap. 16. *naturalis quidem, atque laudabilis humanæ verecundiæ instinctus suadet, ut cui quis debet causa propinquitatis reverendum honorem, ab ea contineat, quamvis generatricem, tamen libidinem, de qua erubescere videmus, et ipsam pudicitiam conjugalem.* Sicut igitur per adoptionem quædam constituitur propinquitas inter adoptatum, et adoptantem, ita quoque per Matrimonium tantummodo ratum mulier vera est mariti uxor, et per Sponsalia desponsi saltem imperfecte jam conjuncti censentur: ex quo duplici capite dirimens exoritur *Publicæ honestatis* impedimentum. (2)

XLII. Ejusmodi impedimentum antiquitus intuitu Matrimonii rati ad septimum usque gradum se extendebat; at in Concilio Lateran. IV. ad quartum gradum restrictum est; quod Jure Tridentino nulla ex parte innovatum est, at potius firmatum. Ad eundem quoque gradum se extendebat, ubi ex Sponsalibus de futuro oriebatur, modo tamen pura essent, ac certa, id est cum certa, et determinata persona, licet quavis ratione, præterquam ex defectu consensus, invalida. Verum Syn. Trident. *Sess. XXIV. Ref. Matrim. cap. 3.* hoc quoque impedimentum primum gradum non excedere sanxit; atque adeo nullum impedimentum produci indulsit, ubi Sponsalia quavis ratione invalida essent. Quia verò Synodus Tridentina in impedimento ex Matrimonio rato non consummato, uti modò innuimus, nihil innovavit, hinc efficitur ex pristino jure ad quartum gradum extendi, licet

(1) Conc. mexic. III, lib. IV, tit. II, §. III.

(2) Ibid. et lex. XII, tit. I, part. IV, correctæ concilio laudato, cui optemperandum est, secundum leg. III, tit. VI, part. IV.

matrimonium quovis ex capite nullum esset, præterquam ex defectu consensus, aut in præjudicium priorum Sponsorum.

## CAPUT DECIMUM.

## DE DIVORTIIS.

I. Matrimonium æque jure naturæ, ac Divino individuum probat ipsa Matrimonii divina institutio. Scilicet mulier ex costa viri condita ipsi viro ea ratione in adjutorium data est, ut *duo essent in carne una;* hoc est arctissima, et perpetua conjuncti necessitudine: *Genes. II. v. 24.* Attamen æque apud Gentes, ac apud Hebræos divortia recepta sunt. Apud Gentes quidem ex morum corruptela; apud Hebræos verò, quod Deus eorum pervicaciam dissimularit: unde Hebræis divortia permissa quidem, seu potius tolerata, haud verò concessa. Tandem Christo Domino reservatum erat conjugium ad pristinam integritatem, ac sanctitatem restituere. *Quod Deus conjunxit homo non separet. . . . Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mæchatur, et qui dimissam duxerit, mæchatur:* Matth. XIX. v. 8. et 9. (1)

II. Quod verò *ibid.* Christus addat: *Nisi ob fornicationem:* hinc gravis inter antiquos Patres exarsit controversia quidnam *fornicationis* nomine intelligendum; aliis quodecunque enorme mulieris crimen interpretantibus, uti non adulterium modo, verum et homicidium, veneficium &c. ita Origenes *Hom. VII. in Matth.* alique apud Augustinum *Retractat. Lib. I. cap. 19.* aliis contra Evangelii verbis litteralem puram putamque significationem adfigentibus, scilicet *fornicationis* vocabulum non nisi veram, carnalemque fornicationem, sive adulterium efferre. Profecto altera isthæc interpretatio magis videtur fuisse apud Patres, veteresque interpretes recepta. (\*\*) Et sanè apud Hispanos Patres non alia fuisse videtur opinio, ut evincitur ex Syn. Tolet. XII. *Can. VIII.* his verbis: *Præceptum Domini est, ut excepta causa fornicationis uxor a viro dimitti non debeat. Et ideo, quicumque citra culpam criminis prædicti uxorem suam quacunque occasione reliquerit, quia quos Deus jungit, ille separare disposuit, tamdiu ab Ecclesiastica communione privatus, et a cætu omnium Christianorum maneat, quamdiu et ad societatem relictae conjugis redeat, et partem sui corporis honesta lege conjugii sinceriter amplectatur, et foveat. (\*)*

III. Jam verò gravior indè existit quæstio: scilicet, num inducto causa adulterii, aliaque legitima causa divortio, novas inire nuptias integrum conjugibus, vel saltem viro haberetur? Nonnulli quidem ex antiquis Patribus, uti Lactantius *Divin. Instit. VI. 23.* Epiphanius *Hæres. LIX. n. 4.* Basilius *Can. IX. ad Amphilo-chium,* tum et Concilia quædam, præsertim Gallicana, uti Compendiense *Can. XIX. Causs. 32. Q. VII.* Vermeriense *ibid. Can. XXIV.* Capitularia Regum Francor. *V. 19. (\*\*)* et Alphonsus Noster *Leg. VIII. Tit. I. Partit. IV. (\*)* in eam videntur abiisse sententiam, scilicet per adulterium ipsum conjugii vinculum prorsus abrumpi, novasque contrahere nuptias licere. (2) Christiani quoque Principes suis legibus plures constituerunt, tanquam legitimas repudii causas: uti non

(1) Vide notam II in hunc tractatum.

(2) Vide notam III. in hunc tractatum.

adulterium modò, homicidium, veneficium, verùm et sepulcrorum violationem, monachatum, captivitatem ultra quinquennium &c. Porrò has imperatorias leges, ubi ex levioribus causis repudia concedunt, Evangelio satis evidenter adversari nemo non videt. Fortasse Principes ad evitandos tristes eventus hujusmodi divortia tolerarunt.

IV. At opposita sententia communior videtur fuisse in Ecclesia, atque adeo perpetua traditione custodita. Profectò Origenes *ibid.* docet contra Scripturæ sensum agere, qui nuptias post divortium concedunt. Idem tradunt (\*\*) Syn. Illiberit. *Can. IX.* per hæc verba: *Fidelis femina, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, et alterum duxerit, non prius accipiat Communionem, quam is quem reliquit de sæculo exierit, nisi necessitas infirmitatis dare compulerit.* (\*) Hieronym. *Epist.* 30. 147. Innocentius I. *Epist. ad Exuperium cap.* 6. Concilium Milevit. *Can. XVII.* Augustinus de Bono Conjug. *Cap. 7. et alibi.* Quinimmo Augustinus totus in eo est, ut ostendat, et quidem rationibus, tum è sacris litteris, tum ob mysterium unitatis Christum inter et Ecclesiam, quæ in Conjugio elucet, individuam Matrimonii societatem nullo pacto posse adulterio dissolvi. Eandem doctrinam pleraque Concilia probarunt, (\*\*) et Leges civiles, scilicet *Lex V. Tit. II. Lib. V. For. Judic.* (\*) atque secutis temporibus recepta evasit Latine Ecclesie sententia. Unde Conc. Trident. *Sess. XXIV. de Sacram. Matrim. Can. VII.* in hunc modum decrevit: *Si quis dixerit Ecclesiam errare, quum docuit, et docet juxta evangelicam, et apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi; et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente aliud matrimonium contrahere; mæcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit; et eam, quæ dimisso adultero, alii nupserit, anathema sit.* Porrò isthoc Canone Latine Ecclesie doctrina, tanquam Fidei Dogma sancita non est; quod Patres, Venetis Legatis intercedentibus, præstitisse, ne Orientales Ecclesie (quæ antiquum adhuc servant institutum concedendi propter adulterium, aliasque causas divortia, et novas nuptias) ea definitione offenderentur auctor est Pallavicinus *Hist. Conc. Trident. Lib. XXII. Cap. 4.* Videsis Virum Cl. Dominicum Cavallearum *Inst. Juris Canon. Part. II. cap. 3.* ubi hoc caput distinctè, ac eruditè expositum invenies.

V. Porrò in Latina etiam Ecclesia probatæ quædam non desunt causæ, ob quas divortia concedere legitimæ Potestati fas jusque est. Atque hæc in duplici sunt specie: aliæ enim conjuges quoad torum duntaxat, et cohabitationem separant; aliæ etiam quoad vinculum; quod propriè *divortium* dicitur. Juvat hic quosdam veluti Canones statuere, quibus rem omnem paucis expediemus.

*Canon 1.* Matrimonium inter infideles initum, quod civilis contractus rationem habet, unde et *Legitimum* vulgò dicitur, rectè dissolvitur per alterius conjugis ad fidem conversionem, ubi conjux infidelis cum fidei, vel cohabitare renuat, aut etiam si consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris, *vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum:* *Cap. 7. de Divortii;* et quidem ex Apostoli doctrina *I. Corinth. cap. 7.* Qua de re ubi pars infidelis cum fidei cohabitare velit, eique nullam molestiam inferre, fidelem jubet Apostolus cum in fidei morari ad ejus salutem procurandam: *ibidem.* (\*\*) Neque hæc Apostoli doctrinæ interpretatio ab Alexandro III. in *pref. Cap. 7.* credatur inventa; eam enim jam tradiderant antiqui Hispaniarum Patres, scilicet Syn. Tolet. *IV. Can. LXIII. alias LXII. Judæi, qui Christianas mulieres in conjugio habent, admoneantur ab Episcopo Civitatis ipsius, ut si cum eis permanere cupiunt, Christiani efficiantur, quod si*

*admoniti noluerint, separentur, quia non potest infidelis in ejus permanere conjugio, quæ jam in Christianam translata est Fidem.* Eam etiam probavit Alphonsus *Leg. III. Tit. X. Part. IV.* quasi una ex præcipuis divortii Christianorum causis. (\*) (1)

*Canon 2.* Matrimonium fidelium ratum, at non consummatum omnino dissolvitur, per solemnem alterius conjugis in Religione adprobata professionem: *Cap. 2. de Conversione Conjugatorum,* (\*\*) et Alphonsus *Leg. VIII. Tit. I. Partit. IV.* (\*) Qua de re conjugibus duo menses conceduntur ad deliberandum de Religione suscipienda: *Cap. 7. ibid.* Intra quod tempus conjux cogitans de Religione non tenetur consummare, nec potest sine injuria ad id cogi. Quinimmo etiam post bimestre quamdiu matrimonium non est consummatum, tamdiu liberum est conjugibus Religionem ingredi: et uno proficiente potest alter ad secunda vota transire: *Cap. 2. ibid.* (2)






*Canon 3.* Ubi conjuges mutuo consensu professionem amplectantur religiosam, separantur quidem perpetuo toro, et cohabitatione, at matrimonii vinculum non dissolvitur: Gregorius M. *Lib. IX. Epist. 39.* (3)

*Canon 4.* Non licet conjugi altero invito Religionem ingredi, vel ullo pacto continentiam vovere: *Can. VI. Caus. 33. Q. V. et Cap. 3. et 12. de Convers. Conjugat.* Igitur conjux, qui altero invito continentie fibula se obstringit, cogitur ad torum redire, conjugi in re uxoria satisfacere, ipse tamen ab matrimonii usu arcetur, ut, qua ratione potest, promissionem adimpleat: *Cap. 3. ibid.* (4)

*Canon 5.* Romanum Pontificem posse matrimonium ratum non consummatum gravem ob causam dissolvere plerique tuentur Theologi, et Canonistæ. Hæc jure plures Romanos Pontifices usos fuisse dubitandum non est.

*Canon 6.* Ob voluntarium alterius conjugis adulterium perpetuum quoad torum et cohabitationem divortium jura permittunt: quoad torum quidem privata etiam auctoritate; at quoad cohabitationem non nisi ex judicis sententia: *Cap. 3. et 6. de Divortii.* (\*\*) et Syn. Prov. Valent. an. 1565. *Sess. II. Tit. II. cap. 28.* (\*) (5) Excipe, ubi maritus adulter sit, aut ipse uxorem prostituerit: quo casu marito ab uxore divertere jus non est: *Can. 1. Caus. 32. Q. VI. Cap. 4. de Divortii.* At contra uxorem adulteram omnino dimittere maritus tenetur, ne turpitudinis patronus esse videatur: *Can. IV. et VI. Caus. 32. Q. I.* Porrò acta pœnitentia, licet non cogatur, potest tamen ex lege charitatis dimissam uxorem recipere: *Can. V. eodem. Cap. 3. de Adulter.* (6)

*Canon 7.* Sunt denique et aliæ causæ propter quas conjugis ab conjuge separatio ex Judicis auctoritate sanciri quiverit: uti apostasia, vel hæresis alterius conjugis, sævitia, aliudve enorme delictum. Verùm ejusmodi separatio non nisi temporaria infligi potest; scilicet, quousque malum, vel incommodum, quod ex mutua cohabitatione timetur, cesset. At contra separatio ob adulterium, uti modo indicavimus, solet esse perpetua. Quæ verò cunque causa fuerit, non nisi ex Judicis auctoritate divortium jubetur, qui hac in re cautione quanta maxima se gerat necessum est; et quidem ob gravia mala, quæ tum quoad ipsos conjuges, tum quoad liberos, totamque familiam ex divortii exoriri quam frequenter solent; uti recte notat Espenius: *Part. II. Tit. XV. cap. 2. num. 18.*

- (1) Conc. Mexic. III. lib. 4. tit. 1. § 13. et l. 3. tit. 10. part. 4.   
 (2) Ll. 1. tit. 2 et 5. tit. 10. part. 4. non octava laudata.   
 (3) L. 2. tit. 10. part. 4.   
 (4) L. 7. tit. 2. part. 4.   
 (5) S. Math. in cap. 19. v. 3. et sequentes: ll. etiam. 3. tit. 2. et 2. tit. 10. part. 4.  
 (6) Vide notam IV. in hunc tractatum. 

## ARTICULUS I.

## DE SECUNDIS NUPTIIS.

VI. Secundas Nuptias Ecclesia nunquam improbavit, et quidem ex Apostoli doctrina: *I. Corinth. VII. v. 39. et ad Rom. VII. v. 2.* Attamen non defuere hæretici, qui secundas nuptias damnarent, uti Montanistæ: qua de re Tertullianus *de Monogamia cap. 1.* Catholicos per sarcasum psychicos, hoc est *carnales, et incontinentie deditos* adpellat. Novatiani quoque eandem hæresim amplexati sunt, uti constat ex Syn. Nicæna, quæ *Can. VIII.* Catharos, sive Novatianos ea conditione recipiendos decrevit; scilicet *præ omnibus eos scriptis convenit profiteri, quod Catholica, et Apostolica Ecclesie Dogmata suscipiant, et sequantur; id est et bigamis se communicare, et his, qui in persecutione prolapsi sunt.*

VII. Legibus Romanorum olim vetitum mulieri intra annum luctus secundo nubere; atque aded mulieres hanc legem infringentes infamia notabantur, nec levibus multabantur pœnis: *Leg. I. et II. Cod. de secund. Nupt.* Porrò jure Decretalium mulier intra annum luctus nubens nulli pœnæ fit obnoxia, neque ullam infamiae notam contrahit: *Cap. 4. de Secund. Nupt. (\*\*)* Id quod pro Hispania nostra confirmavit Henricus III. Castellæ Rex *Leg. III. Tit. I. Lib. V. Novæ Recop. (\*)*

VIII. Negandum tamen non est, Ecclesiam secundas, ac potiori jure ultiores nuptias, numquam non agnovisse tanquam incontinentiæ speciem præferentes, ipsosque nuptias iterantes eo nomine haud parùm suspectos. Quinimmo Patres nonnulli, præsertim Græci, opprobriosis quibusdam titulis trigamiam, ultioresque nuptias donarunt, uti speciosi adulterii, honestæ fornicationis vitæ porcinae &c. Athenagoras *Legat. pro Christ. Auctor operis imperfecti in Matth. Hom. XXXII.* Nazianzenus *Orat. XXXI. cap. 3.* Tum Concilia sancitis Canonibus publicam nuptias iterantibus pœnitentiam infixere: uti Neocæsareense *Can. III.* Quæ pœna licet secutis temporibus ablata sit, adhuc tamen Ecclesia ostendit non æquè primas, ac secundas, ultioresque nuptias sibi probari; dum illas duntaxat, non autem has à Sacerdote speciatim benedici jubet: *Cap. 3. de Secund. Nupt.* Tam Alexander III. *ibid. Cap. 1.* Capellanum, qui benedictionem secundis nuptiis impenderat, ab officio, beneficioque suspensum, cum litterarum Episcopaliū testimonio ad Sedem Apostolicam destinari præcepit. (\*\*\*) Id confirmavit Conc. Viennense, et Syn. Prov. Salmant. an. 1335. *Cap. XI.* ex eo quod Sacramentum hujusmodi iterare non liceat. (\*) Hæc quidem pœna, et ad Sedem Apostolicam remissio hodie in usu non est; passim tamen recentiores libri Rituales secundis nuptiis benedictionem haud impertiendam præscribunt: Rituale Romanum *de Sacram. Matrim. (\*\*)* Sed uniuscujusque loci consuetudo servanda est. (\*)

(\*\*) IX. Quibusdam tamen spectatissimi nominis virorum viduis Hispaniarum Ecclesia secundas nuptias prohibere decrevit, ea fortassis de causa, ut honestam præcedentis mariti memoriam illasam servarent. Syn. Tolet. I. *Can. XVIII.* Episcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum viduas continentes perseverare jussit sub pœna excommunicationis ad extremum usque vitæ tempus, ita ut bigamiæ legem ad uxores transtulerint. Syn. Tolet. XIII. *Can. V.* Regum etiam viduis totam alterius conjugii spem ademit. *Quis enim, ait, æquamiter ferat defuncti Regis conjugem etiam Successoris alieno postmodum connubio uti? . . . Quid ergo si moriuntur Principes, numquid inhonorandas relinquunt sui corporis partes?* Quod quidem consuetudine potius, quam legibus, ratum hodieum

obtinet. Syn. Cæsaraugust. III. an. 691. *Can. V.* prædictam Toletanæ Sanctiōnem confirmat; quin etiam et in Cænobio Virginum mancipandam esse censuit Regis Viduam, ut *infra claustra Monasterii jugi sedulitate persistens, atque Sanctimonialē vitam peragens, de Regno temporali. . . ad Regnum æternitatis mereatur pervenire. (\*)*

## CAPUT UNDECIMUM.

## DE CONSTRUENDIS, EDIFICANDIS, ET REPARANDIS ECCLESIIS,

## ET ALTARIBUS.

## Nominis Ecclesia etymon, et usus.

I. *Ecclesia* Græcum nomen est ab *evocare*. Sic dicebatur Athenis cœtus convocatus ad audiendum de Reip. negotiis. Meritò igitur cœtus fidelium Apostolorum, vel Apostolicorum virorum præconio ad Christi fidem evocatorum *Ecclesia* dictus est. Porrò eadem vox æquè in veteri, ac in novo Testamento *metonymice* usurpari consuevit; pro loco scilicet, quò evocati convenirent. Sic Judith IV. v. 21. *Intra Ecclesiam oraverunt.* Et I. ad Corinthios XI. v. 18. et 22. *Convenientibus vobis in Ecclesiam. . . aut Ecclesiam Dei contemnitis.* Hoc sane nomine ad sacras ædes designandas plerumque, ac præcipuè fideles usi sunt, (\*\*\*) uti colligere est ex pluribus Syn. Illiberit. et Tolet. I. Canonibus. (\*)

## ARTICULUS I.

## VARIA NOMINA, QUIBUS OLIM ECCLESIE NUNCPATE SUNT.

II. Veruntamen aliis quoque nominibus antiquitus quam sæpissimè donatæ sunt. Ac I. dictæ sunt *Dominica*, sive *Domus Dei*. Hinc celebris à Constantino, ejusque filio Constantio Antiochiæ ædificata *Ecclesia Dominicum aureum* nuncupata est: Hieron. in Chron. *Olimp. CCLXXVI. an. 3.* Eadem adpellatio in veterum Conciliorum Canonibus frequenter occurrit.

2. *Oratoria*, vel *Domus* prædicationis. Sic Eusebius de laudib. Constantini *Cap. 17. Qui Deo bellum indixerant Oratoria ejus. . . ab ipsis fundamentis everterunt.* Huic adde Sozomenum *Lib. II. cap. 5.* Porrò aliquando *Oratoria* speciatim dicta sunt privata sacella faciendis precibus, non autem Missis celebrandis destinata: (\*\*\*) id colligas ex præf. Synod. Tolet. I. *Can. V. et IX. (\*)* Verum et in his secutis temporibus, exceptis solemnioribus festis diebus, ex Episcopi venia Missæ celebrari cœperunt: id quod sæculo VI. jam obtinuisse colligitur ex Concilio Agath. *Can. XXI.*

3. *Basilica*, et *Regia*. Basilicæ dictæ sunt, vel ob magnificentiam, vel quod Romanæ aulæ Basilicæ in Ecclesias essent conversæ. Qua de re hæc vox apud Patres IV. et V. sæculi frequenter occurrit. Tum voce Regiam utitur Eusebius de laudibus Constantini *cap. 11. Interius vero Regiam ad summam erexit altitudinem. (\*\*)* Verum in Hispania ad sæculum usque VI. latuisse videtur hæc vox *Basilica*, donec eam usurpare cœpit Synod. Tarracon. an. 516. *Can. VII. et VIII.* ac dein Ilerdens. an. 546. *Can. III.* eaque frequenter usi sunt Hispaniarum Patres in hujus sæculi Conciliis; ejus tamen post sæculum VI. ferè penitus oblit, Ecclesiæ vocabulum recuperare maluerunt. (\*)

4. *Templa*: vox hæc per tria priora sæcula haud usurpata reperitur; ea siqui-